Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Dixit insipiens idest iudeus vel antixpus vel aliquis de familia sua in corde suo non est deus scilicet xpus

Unde est hoc quod hodie multi dicunt hodie / qui scilicet Corrupti sunt ab omni vi racionis in quo verbo omnes heretici denotati sunt nam de deo recte non credidisse corruptio est / et quia mala fide itur ad turpes mores et in teterrimas iniquitates abhominabiles facti sunt deo in desiderys suis et non est de illis qui faciat bonum meritorium quod fieri non potest sine fide per dilectionem operante

Pro examinanda veritate Dominus per sanctos viros celestes quasi examinatores veritatis faciet prospicere super filios hominum et videri sive scire faciet si est aliquis ex illis intelligens vera cognicione deum / aut recta operacione requirens deum

Omnes filii hominum qui scilicet nephariis persuasionibus excecati declinaverunt a rectitudine iusticie simul inepti sunt facti ad consecucionem vite eterne non de numero illorum incredulorum est qui faciat bonum meritorium usque ad unum

Nonne cognoscent se impie agere isti qui operantur iniquitatem scilicet utique cognoscent penarum experimento / qui fideles domini lacerare intendunt / qui contra mandata eius viduas opprimunt pupillos expoliant qui malicie dentibus plebem meam assidue et delectabiliter ac si cibum panis comederent deglutiunt et consumunt

Et merito hoc eis accidit, quia Dominum non invocaverunt intus in corde pro eternis bonis / quia in eum non crediderunt illic trepidaverunt timore scilicet ne adempta facultate fraudentur diviciis innumeris si serventur inventis ne acquisitis priventur honoribus ubi non erat timor iustus quia omnia ista humana condicione sunt relinquenda Illa vero non cogitant propter que verissimo timore torquendi veniunt in eternum